FERDINĀDVS ALTAMIRANO MEDICVS SALMANTICENSIS; ET NVNC PRAXIM HISPALI EXERCENS;

SVB DISCIPLINA DIGNISSIMI Doctoris Ioannis de Saauedra. In defensionem ſapientiſsimi Doctoris Simoni Ramos, Medici à Cubiculo Excelentiſsimi Comitis de Niebla.

Reſpōndet agologiæ nuper editę â quodam Doctore ſub nomine de Eſpinoſa Bocanegra.

SICVT commune, & facilimum est scholasticum cũ scholastico cõtrouertere, sic arduũ & difficillimum cum doctore Præcipuè sapientissimo, onus graue suscipio, á quo vt potuero me expediam; statim rem aggrediar, nec in prologis inutilibus consumam quatuor paginas. Et quã claritate potuero aperiam, & ostendã quid velit dicere noster Spinosa; sic obscurus in scribendo, atque in dicendo, adeo vt maiori labore sit opus ad intelligendum quid velit dicere, quæ ad discendum.

Contendit ergo contra doctissimum Simonẽ; primo, quod ipse negauit in morbis signa crisima conturbationis præcedentia. Secundo quod affirmauerit, eadem signa in morbis benignioribus sint minora, & mitiora. Tertium, quod signa crisima in læthalibus docuerit esse maiora.

Et ad primum accedendo miror istum doctorem, quã celeritate omnia persuadit, cum falso Simoni imposuerit talem propositionem. Fortè voluit, vt doctores medici Hispalenses haberent præmanibus suas prælectiones de crisibus, quibus minime indiguerunt, cum eadem, & meliora, clara, & distincta doctrina in Galeno habeãtur. Nec ipse etiam doctissimus indiguit. vt cumque sit contrariũ constat ex multis apologiæ locis.

Et primum, fol. 3. initio cum naturam crisis explicaret, ait; *Veteres imposuerunt hoc nomen omnibus subitis euentibus qui fiunt cum pugna.* Ecce concedit pugnam â qua contur, batio, & cum morbillum iudicet criticam expulsionem. in ipso pugnam & conturbationem affirmat. Y luego mas abaxo eodem folio ait. *Id autem commune est omnibus differentijs crisium, vt subito fiant & cum pugna.* Nota verbũ

omni

omnibus, vt morbillorum crises comprehendantur. Constabit etiam hæc propositio ex multisque adducemus in secunda propositione.

In secunda propositione contendit Spinosa falsam esse propositionem, qua doctissimus Ramus affirmat crises salubrium morborum quales sunt morbillorum esse mitioris conturbationis, & minorum accidentium. Propositio quidem catholica, & vera, & Galeni doctrinæ conformis: inquo noster doctor ignorauit quid sibi vellit Simon, & cum quibus conferat crises salubrium morborum, & cũ possit fieri comparatio crisium salubrium ad salubres, & salubrium ad læthales. Simon salubres inter se confert, & sic facta comparatione est indubitabile, & euidens, quod crises morborum salubrium quo salubriores eo meliores minoris conturbationis, & minorum accidẽtium, & illud magis est, quod etiam si cum læthalib⁹ cõferret salubres, in doctrina Galeni, & optima ratione physica haberet maximum fundamentum, vt infra in tertia propositione. Nunc examinemus secundam.

Et præsuponenda imposterum veritatem prædictæ propositionis, quod sic doctissimus Ramus contulerit crises salubriores, constat ex eodem fol. pag. 2. *Medicus autẽ cum optima crisis fieri debet, instantem præuidet sine grauitate simptomatum præsentem, moxque terminandam ad salutem.* Nõ dixit sine simptomatibus (vt confirmetur prima propositio) sed sine grauitate: y luego. *Nec expectat dum totum id tempus prætereat, vt sensu cuncta prehendat, idque assequitur in optima, & securissima crisi, in qua omnino concurrunt taliter secura, & mitiora, vt medicum redant certum de eius optimo exitu.* Idque dixit *propter* alias crises salubres, etiam in quibus medicus potest esse dubius in maiori intensione accidentium, & conturbationis. Et sic ait Simon. *Et quanto in nocte ante accessionem* (intellige ante crisim) *accidentia minus grauia, & minus terribilia fuerint, tanto maiorem secu-*

 rita

ritatem, & crisim meliorem futuram indicabit. Ecce asignat signa crisima antecedentia, sed minus terribilia, minime nulla, vt maligne, & falso illi imponitur.

Ex quo infert contra Spinosam, & suum doctorem, quæ secuntur. *Habent enim indicatoria simptomata, non semper stabilem, ac firmam potestatem, non ergo in morbillorum exitu, vt perfecta fiat crisis, conturbationes, & accidentium terribilium congeries, quæ tu antecedere necessario ais reperiri debent.* Eecce distinguit in morbillo accidentia terribilia, á minus terribilibus, & mitioribus, quæ in exitu morbillorum admittit in perfecta crisi. Et vt confirmet prædictam doctrinam, qua diximus magnum Simonem non negasse critica simptomata (vt voluit Spinosa) & simul comparasse simptomata crisima mitiora in morbillis cum alijs cribus salubrioribus, ait folio 4. *Euenit etiam, vt crisis quamuis ad salutem terminetur, non facile feratur, sed periculosa sit propter simptomata grauia, ac molesta, quæ tunc superueniunt, & quanto plura, & grauiora fuerint, tanto deteriorem ipsam redunt, & magis periculosam; quanto vero pauciora, & leniora, tanto tutiorē. Longe igitur tutior erit illa, cū qua grauia, & terribilia simptomata non copulantur.* Ecce luce meridiana clarius doctissimus Ramos, simptomata critica concedit in omnibus crisibus, & præterea in salubrib⁹ crisibus hæc simptomata latitudinem habere, adeo vt in mitiori morbo acuto, & benigniori sint minora, & ad probandum cōtrarium, quod non dixit, valde laborat Spinosa per integram suam apologiam. In vanum ergo laborauerunt ipse cum suo doctore: cū vniuersa eius doctrina sit sana, & catholica, & falso illi contrarium fuerit imputatum; vindicauimus ergo illum á turpi maligna impositione.

Tertia erat propositio, quam redarguere Spinosa contendit, quod doctissimus Simon Ramos dixerit, signa crisima læthalium esse grauiora maiora, & terribiliora quam in salubribus crisibus. Hæc propositio certe vt iacet, potest

teſt in doctrina Galeni, & in bona ratione phyſica defendi. Vult Spinoſa cũ ſuo doctore quod ſint maiora, grauiora, & intenſiora in criſibus ſalubrib⁹. Memini doctorẽ, & magiſtrum meũ Saauedra in ſuo ſecundo opuſculo, ſeu diſcurſu cum Spinoſa ſentire viſſum, cum dixit; *Los accidentes criticos ſon grandes, y mayores, aun que los ſimptomaticos, y donde ſe ha de morir el enfermo.* Y dixo con Cardano. *Terribiliora ſigna apparent in ſaluandis, quam in morituris.* Vtrumque ſine dubio dici poteſt, & conſtat Simonis noſtri tertia propoſitio ex doctrina Galeni, vbi cum de ſignis criſis ad mortem verba faciat; in quit. *Cauſa vero criſis anticipatæ ante coctionem in læthalibus eſt morbi violentia irritatrix quedam exiſtens, & accuta. Vnde cum natura non poßit tollerare, ſtatim properat ad expellendum quod infeſtat, ſicut & ex ijs, quæ ventrem mordent, & hoc eſt maximum ſignum criſis intempeſtiuæ.* Ecce ex parte materiæ maior irritatio ad pugnã in læthalibus. Imo ſtatim expreſſe ait; *Quæ vero in ſtatu coctionis fiunt criſes, etiamſi nullum adſit irritamentũ, vt in calidis & magnis morbis videmus accidere.* Ergo ex maiori irritatione grauiora, & maiora euenient accidentia. Dices facultas non eſt eadem quæ mouetur irritata, & mouet, quod de expultrice præcipuè eſt intelligendum, ad quem ſum Auicena dicebat. *Et de cauſis vehementiæ rigoris eſt vehementia virtutis expulſoriæ.* In læthalibus autem facultas eſt imbecillior, dic verum eſt, vt plurimum; & ideo terminatur plurimum ſine criſi, interdum vero in læthalibus iudicijs facultas eſt conſtans, maxime in primo quaternario, quando facultas adhuc ſupereſt in eſſentia ſolum aggrauata, & morbus propria violentia, & magnitudine interficit, non langore, & ſic Galenus prædicto loco, & in prædicto caſu criſium lethalium dicebat: *Quod autem ſi morbus ſit fortior virtute, non neceſſario virtus ipſa ſit debilis, nos alio oſtendimus libro.* Sicut enim munus fortis equs celerius currit, cui calcaria magis adhibentur, quam fortiſsimus: ſic natu

3.(
10.

14.
cap

3. c)

ra in lęthalibus. Ex quo sequitur in Gal. doctrina, quod in læthalibus crisibus maiora, aut æqualia erunt signa crisima quã in salubrib⁹, natura autem vtplurimũ crisim non tentat præ languore, verũ vbi tentat id operatur sufficienti robore: cum quo & maiori irritatione fortisima, & horribilia concitat accidentia crisima. Verum tandem præ mole & malitia causæ succumbit.

Ex quibus constat tres prędictas propositiones, quas Spinosa contendit in sua apologia probare, primam falso esse impositam, secundam, & tertiam esse verisimas. Cecidit ergo apologia iuutilis; & vaqua. Ex eisdem constat intelligentia ad locum doctisimi Simonis, non intellectum ab Spinosa; & qui dedit illi occasionem errandi, fol. 5. in fine, §. nec habet, &c. nam ibi non tollit signa crisima in salubri morbillo, sed grauiora, periculosiora, & intensiora, & horribilia, quæ non in communi salubri, sed in particulari casu simptomarico interdum solent ingrauescere, vti dictum est. Confert ergo ibi non crises salubres cum alijs salubribus, nec salubres cum læthalibus. Sed crises salubres, & communes morbillorum cum lęthalibus eiusdem; quæ interpretatio ex eodem Simone constat eodem folio in fine cum ait: non ergo in morbillorum exitu vt perfecta fiat crisis conturbationes, & accidentiũ terribilium congeries, quæ Spinosa antecedere necessariò dixit reperiri debent; nisi cum morbus terminabitur in interitum: tantum ergo abest, vt doctisimus Simõ signa negauerit crisima: quin potius multas differentias asignauit. Nam primo constant crisima salubria, & læthalia, & secũdo salubria quædam minora in magis salubribus, alia grandiora in accutioribus maioris causæ.

Nunc breuiter apologiam percurram, & primo habet optimum authorem (Spinosa) quoniam spinas videtur seminasse, sic scabrosa difficilis, & obscura eius doctrina. Denique, *Conueniunt rebus nomina quæque suis.* Multos audio

dio ipſam abijcere non intelligentes quid ſibi velit.

Prohemij longitudinem videt lector, vincit ſine dubio opus: & cum inutiles errorum, ſeu errantium differentias aducit pernitioſam intēdit doctrinam, quaſi doctiſsimus Ramos in principijs, & notiſsimis artis errauerit, cum ſolus Spinoſa errans, & ignorās in multis inueniatur, vt cōſtat ex multis in prīma ſua apologia, & modó ex ignorantia, Simoni impoſuit primam propoſitionem, & non veretur ſe correctorem prędicare cum ipſe ſolus correctione idigeat: & modo corrigendus venit locus, quem ex Gal. hic aducit 1. ſimp. 2. Falſo enim citaſti Spinoſa? vt ex hoc etiam conſtet quam parum in Galeni doctrina ſis verſatus, nihilominus eſt Galeni alibi vera doctrina, quam in te retorqueo; ſi Galenus: *Vt medicamenta comprobaret, quærebat ruſticorum, & idiotarū ex plebeis ſenſum, cui fidendum eſſet.* Cur tu non interrogas ruſticos & plebeios, an venæ ſectio conueniat morbillis apparentibus ipſi reſponſum tibi dabunt, & te docebunt facienda, ſin minus interroga veteranū, & doctiſsimum Mexiam, ipſe longa experientia ductus ait, quod protinus, atq; de exitu morbillorū notitia ei datur, dat ipſe terga, ante quam ab aſsiſtentibus abijciatur; quoniam plebs tota iudicat, & vere iam medico non egere, idque longa experientia euentuum. Et denique Gal. iuxta hoc intentum dixit. *Si à ſenſibus recedendum eſt nulla ſuperet demonſtratio* & parum infra ait. *Nam ſi quæ per ſenſus euidenter apparent, euertant: vnde ſumant demonſtrationum principia non habebunt.* Euidenter autem morbi loſi omnes ad ſenſum, ſine miſsione ſanguinis, ſiue medico, & ſiue medicina liberantur Cur tu Spinoſa contra demonſtrationem á ſenſibus deſumptam vis ſemper ſecandam venam? hæc dicta ſint obiter, tui textus falſo allegati occaſione. Altiorem enim indaginem requirunt errores falſiſsima, & enormiſsime tuę apologiæ contra ſanguiſugum.

Fol. 2. §. quod si, &c. Et cũ mille modis errabundus appareat in prima, & secũda apologia. Pro veritate pugnare dicit, & quod mirabile est, quod inuenit sibi modum vrbanitatis.

Eodem fol. §. Vult igitur, &c. Minime dixit, quod in salubri crisi non inueniantur signa crisima, quę Gal. adduxit: dixit in salubrioribus plus, minusvé maiora, vel minora apparere, prout morbus accutus grauior, aut benignior inuenitur: inuenitur tamen benignissimus in genere accutorum morbillus. Hæc constant ex præhabitis, & quam falso Spinosa contrarium imposuerit Simoni, & quam falsissime affirmet mille erores cumulasse, cnm verissimum sit nullam esse in Simone propositionem, quæ non sit vera ex Galeno, & ex arte.

Ibi §. Et pro primo, &c. Quam futilem consequentiã deduxisti Spinosa? diaria non est de genere accutorum, in diaria non est excretio, nec abscessus in signis, & subitus, etiam si denegasset omnino signa crisima non sequebatur ad diariam. In quo argumento, & sequella fictili noto ego in Spinosa? tuam simplicitatem quam male in Simone notasti. Et tuam ignorãtiam in duobus. Primum quod iterum falso citasti Galenum ex Diocle in præsenti, cum cap. 9. secundi de diebus decret. non inueniatur. Fac bonam farinam iterum, si videres in originalibus Galenum vt in cartapatio vides, hoc nõ tibi contingeret. Secundum quod argumentum ex Galeno contra Dioclem, quod in cap. 5. habetur (ibi est visurus) procedit optime quoniam Diocles quamcunque morbi solutionem crisim appellabat. At noster Simon loquitur in morbillo accuto celerrimo materiali cum insigni, & subito abscessu finito. Et quamuis signa crisima Simon denegasset, nil probares ad diariam, sine accutie, sine abscesu, & sine materia.

Fol. eodem 2. §. Et quidem, &c. Varijs Galeni locis cõtendit Spinosa probare signa crisima antecedentia. Idem

conten

contendit probare ex Auicenæ doctrina clara, tonsoribus etiam nota, sed in vanum laborasti Spinosa? Simon enim minime id negauit, & falso illi imposuisti? Ex hoc tuo errore & ignorantia intelligentiæ doctrinæ Simonis deduxisti contra ipsum errores in principijs artis.

Fol. 4. §. pro horum igitur, &c. Argumentum facilis solutionis ex dictis, proponit Spinosa: In morbo terminando crisi, crisima signa reperiũtur maiora, & grauiora quã in morbo, qui solutione paulatina terminatur. verum inter criticos sunt: quidam salubriores in quibus mitiora cõparatiue ad alios salubres habent simptomata critica, de quibus Simon ait, *Adueniunt sine simptomatum grauitate, vt in morbillis.* Et sic ait. *Habent enim indicatoria simptomata, nõ semper stabilem, ac firmam potestatem.* Et cum magis & minus suscipiant optima consequentia deducit, cum ait. *Non ergo in morbillorum exitu, vt perfecta fiat crisis conturbationis, & accidentium terribilium congeries, quæ tu antecedere necessario ais reperiri debent.* Hanc solutionem, & doctrinã admittit Spinosa in præsenti; cum ait. *Negare non possum quod signa crisima, non habent stabilem potestatem, nec firmã.* Et quamuis sint remissiora non sic remittuntur, vt morbus solutione finiatur, & crisima signa suam deperdant naturam, suauitas enim & remissio istorum accidentium criticorum intra propriam naturam intelligitur; sicut propria natura accutorum diuersificatur. Neque proinde sequitur quod non fuit supra naturam accidentium communium.

Fol. 5. §. Consequenter, &c. Argumentum tui ingenij Spinosa detentus semper in his & alijs similibus? verum scias quod morbus qui solutione finitur, non sic opponitur morbo crisi terminando sicut albedo, & nigredo: forte posses id affirmate inter criticum, læthalem, & salubrẽ & sicut terminationes solutione factæ ephimeræ, aut tertianæ potiores sunt quàm quæ crisi terminantur, sic termi

ñantio, crisis benignioris est multo perfectior, & laudabilior quam crisis malorum simptomatum; albedo enim in maiori intensione perficitur, verùm vita destruitur maiori gradu, & intensione accidentium.

Fol. eodem 5. in §. Ex quibus, &c. Prauè argumentaris Spinosa? Constat, quia turpiter contra te adducis Galenum, diximus læthalem morbum sine crisi contingere sæpius ob imbecillitatem; diximus etiam ex Galeno interdum crisi finiri lethalem, non sic languida natura, imo ex eodem. *Non necessario est imbecilla in læthalibus, & quando non criticat, contingit ob summam imbecillitatem.* Cur ergo ad probandum quod sint horribiliora crisima in salubribus ob defectum facultatis, adducis in præsenti Galenum cum ait: *Crisin verò sabire læthalia non est necessariũ, & maxime si in principio morbi moriantur. Hoc autem accidit vbi natura plurimum à morbo superatur, tunc enim nec certare aduersus ipsum morbum aggreditur, sine certamine autem crisis non fit.* Hæc Galeni verba Spinosa? Auferunt signa crisima, nec ipsorum gradum determinant. Supplet ergo maxima irritatio quam admittis in læthalibus aliquem defectum in facultate: & Auicenam intelliges ex prædicta doctrina.

§. Quia tamen eodem folio 5. arithmeticos presuponit lectores medicos, cuius defectu forte non intelligent, quę ita obscurè, ut solet, velit Spinosa dicere: dicit ergo quod facultas in morbo læthali respectu suæ causæ est inferior, & facultas in morbo salubri necessario superior respectu propriæ, licet vtrobique idem sit gradus, & constantia facultatis; quem gradum ęqualem vocat Spinosa, (vt semper obscurus fiat) paritas arithmetica. Sed quæso quid ex hoc sequitur potius contrarium, quod sit sufficiens facultas in tali morbo læthali; saltim ad pugnãdum etsi tandem succumbat. Et in §. sequenti incipit, Et hinc etiam, &c. Adducit contra se ipsum verba, *natura*

in

in læthalibus fortior reditā intra latitudinem posſibilitatis ad dugnam criſsim concitat. Verum non minorem, vt ipſe iudicat ex maiori irritatione cauſæ.

Fol. 6. §. Pro expoſitione, &c. Vt argumento in diſſolubili, quod ſibi propoſuit, ſatisfaciat, ſtatuit inutilem diuiſionem humorum ad expulſionem irritantium, cum ſemper ſit inteligenda doctrina, comparando criſes eaſdem ad eoſdem humores, aut cum reducuntur ad benignum, vel cum non reducuntur, & excrementoſi reduntur. Et quod peius eſt, ſtatuit doctrinam falſam & Galeno contrariam, quando ait: *Si in criſibus læthalibus materia morbifica non ſit mere inexcrementoſam ſinceritatem reducta, non irritat pungendo, & ita moleſte, ac in criſibus bonis, excremētoſi humores ex coctione perfecta ſeparati, & ſic infert intenſiora ſimptomata criſsima in ſalubribus, quibus eſt ſemper excrementum magis pungens ex maiori coctione.* Non recordatus eſt doctrinę Galeni in arte medica, cum ait. *Coctio facit ceſſare putredinem.* Et expreſsius 2. aphoriſm. 29. quādo dixit. *Nam affectus qui ſimptomata gignit, dum viget non eſt omnino fortior, ſed in ijs qui ſeruari debent multo mitior, quam morbi initio.* Textus de cauſa morbifica interpretatur, ſi melior, mitior, & benignior quam in principio, quando morbi læthales iudicantur: cur Spinoſa ex materia vis maiora ſimptomata critica? ſunt in principio maiora quæ ſecuntur morbum, & ſunt illi propria, at critica ſecuntur facultatem expulſiuā in ſtatu: quæ tunc non tam irritatur, quam ex propria natura mouetur, naturalem ordinem ſeruando. Et eſt expræſſara doctrina Galen. 3. de criſib. 10. verba autem Galeni ex eodem capite, quæ Spinoſa in præſenti refert, nec per ſomnium probant contrarium, & contendit fruſtra explicare Galeni verba expræſſa.

Fol. 7. §. Probabiliter, &c. Iam videtur Spinoſa cum Simone conſentire, ſiquidem ait. *Probabiliter propter concomitans periculum in criſibus læthalibus, in remiſsiori aliqu gra*

... cadunt æquè molesta, & horribilia accidentia crisſima.
... a ergo iam in expectatione huius conuerſionis, reducitur enim facile Spinoſa ad arbitrium boni viri: idq; habent viri ſapientiſsimi.

Eodem folio §. Tandem, &c. Tandem ſignificare videtur, quod criſes læthales ſint æqualium ſimptomatum cũ ſalubribus in ſtatu coctionis factæ; eſto quod quando coningunt in agmento ſalubres ſint maiores; illud concedemus cum concedat alteram.

Eodem fol. 7. §. Hæc quidem, &c. Pugnam cadmicam raram eſſe ait, in qua valida ſit virtus cum validiori morbo, vbi concedit ſigna criſsima validiora, & terribiliora, ego autem dico ſæpius contingere in læthali critico, quoniam cum ex Galeno conſtat, quod tales criſes anteuertant maxima cauſæ irritatione, & ſæpe in primo quaternario, quando vires nondum concidunt, erunt ſufficientes ad pugnandum valide. Verum hinc inde cum Simone cõuenit doctiſsimus Spinoſa.

Fol. 8. §. Iam tamẽ, &c. Nullus te interrogat Spinoſa? Quenam ſint ſigna critica horribilia; ecce aperte, & longa ſeriè ea propoſuit Gal. cum ait. *Antecedit autem huiuſmodi excretionis, & abſceſsus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis. Nam & difficiles tolerantiæ, & vigiliæ, & deliria, & grauis ſomnus, & difficilis anhelitus, & vertigines tenebricoſæ, & difficilis ſenſus, dolores capitis, colli, & ſtomachi, & multorum aliorum membrorum, nonnullis vero aurium ſonitus, & vani ante oculos apparent ſplendores, & labrum agitatur, aut aliquid aliud tremulum fit, obliuio, & præſentium ignorantia, & vehemens accedit rigor: ſitis intolerabilis ſequitur clamant, & ſaliunt ſicuti furentes, nec poſſunt in eodem ſitu decumbere.* Hæc ſunt ſigna criſsima, quæ omnia ad facultatẽ animalem pertinent: nam quæ poſtea ad naturalem facultatẽ apponit, non ſigna critica, ſed ipſam criſim conſtituunt, veluti ait. *Deinde repente multus ſudor ſequitur, aut*

3. criſ. 2.

vomi-

vomitus aliquis non paucus insequitur, aut venter subito soluitur, aut abundans fit fluxus sanguinis. Veluti nec signa coctionis, & cruditatis sunt signa crissima, cum potius condistinguantur inter se, & á læthalibus. Hæc signa coctionis cum adsunt redunt medicum magis securum, in concursu signorum criticorum, quæ antecedunt, & ad facultatẽ animalem pertinent; verum non ita quando multum intensa, & horribilia accedunt, de quibus intelligitur Gal. quando dixit. *Periculosa est crisis, quæ cum grauibus simptomatibus accidit.* Constat quoniam Galenus ibi de solum crisimis agit. *Et statim dixit tuta est crisis, quæ sine periculosis simptomatibus accidit.* In quibus verbis non potest intelligi Gal. de simptomatibus ex defectu concoctricis, vt intendit Spinosa, quoniam signa cruditatis per se non significant periculum, cum nec mortẽ, nec salutem portendant: Intelligitur ergo Galenus de signis crisimis præcisse pertinentibus ad facultatem animalem: quę prout magis, minusvè intenduntur, sic magis, minusve sunt secura. Maxime quod cum in statu contingat ægrum mori cocta materia, id maxime eueniet, quando prædicta accidentia critica magis intẽsa, virtutis robur dejecerint ob aliquod simptoma, cuius ratione non valeat facultas euaquationem moliri.

Verum in quo immoramur Spinosa. Ecce folio tuo 10. §. Notandum tamen, &c. Omnia hæc confiteris iterum, cum ais. *Notandum tamen, quod inter ipsas optimas crises, & subitas ad salutem reperiũtur aliæ intensiores, & maiorum simptomatum, aliæ vero remissiores, minorumque simptomatum propter benigniorem materiam, vel morem morbi. Et inter has non dubium, quin remissiores, & minorum simptomatũ sint etiam meliores.* En que nos auemos cansado Espinosa si todos dezimos vna cosa? Y bueluelo a dezir Espinosa en el §. siguiente, quando dixo. *Et de hac differentia crisium supposita coctione, posset verificari quod intendit sapientissimus Si*

men, quod ex lenitate simptomatum, sub latitudine tamen crisima eorum, infertur melior, & eligibilior crisis crisis. En rindiendose el contrario, no ay sino embayna Espinosa? & cum affectatus fueris magisterium, euadi discipulus.

Vale lector.